

dent, nisi sub aliquo respectu scandalum præbeant, ut, v. g., si sint clerici.

8° Ubera denudare aut veste adeò tenui cooperire ut transluceant, peccatum est mortale, quia grave est libidinis incentivum, ait Sylvius, *t. 3, p. 872*. Modicè verò denudare pectus, juxta consuetudinem introductam, pravâ intentione et periculo seclusis, non est peccatum mortale, propter rationem oppositam. Ità *S. Antonius, Sylvius, S. Ligorius, l. 2, n° 55*, etc. *A fortiori*, quæ brachia, collum et scapulas juxta morem patriæ denudant, aut leviter tegunt, graviter per se non peccant. Mortaliter verò à citatis auctoribus judicantur peccare quæ tales consuetudines introducunt.

ARTICULUS TERTIUS.

De turpiloquiis, libris obscenis, choreis seu saltationibus et spectaculis.

§ I. — De turpiloquiis.

1° De rebus in se obscenis sermonem habere, non est absolutè malum, ut patet exemplo medicorum, theologorum, confessoriorum, etc., qui de his rebus absque peccato loqui possunt.

2° Contrà verò quæcumque verba obscena, et simplices æquivocationes ex motivo libidinis, vel cum voluntariâ delectatione carnali, vel cum gravi periculo, pro se aut pro aliis, eis assentiendi prolata, sunt peccata mortalia: imò peccata ista pro numero audientium, quibus nocent, multiplicantur. Ratio est evidens et patet ex dictis.

Hinc, verba graviter obscena, ut nominare pudenda alterius sexûs, coitum et modos coitus, etiamsi hæc sine delectatione, ex levitate ad risus excitandos proferrentur, æstimanda forent peccata mortalia, quia nata sunt motus libidinis excitare, tum in ea proferente, tum in audientibus, maximè non conjugatis et junioribus, secundum hæc B. Pauli verba, I ad Corinth, 15, 33: *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.*

Diximus, *maximè non conjugatis*: certum est enim conjugatos rebus venereis assuetos non ità facilè commoveri; vix tamen fieri potest ut mortaliter non peccent, qui verba adeò obscena coram conjugatis à conjugate diversis proferunt.

3° Verba non multum turpia, et æquivocationes ob vanum solatium vel ex joco proferre, non est peccatum mortale, nisi audientes ità sint debiles ut scandalum patiantur.

Undè dicteria minus honesta, quæ à messoribus, vindemiatoribus, molitoribus, aliisque operariis proferri solent, communiter non sunt peccata mortalia, quia ea proferentes et audientes, ordinariè parum commoventur. Ità *S. Antoninus, Sanchez, Lessius, Bonacina, Sylvius, Billuart, S. Ligorius*, etc. Secus verò dicendum foret, si grave periculum existeret, aut si præberetur scandalum.

4° Qui verò audiunt obscena, vel auctoritatem habent in proferentes, vel non: si prius, eos cohibere debent quantum moraliter possunt; si posterius, eos admonere tenentur, aut

ad minus tacere debent, præsertim mulieres, quibus summoperè cavendum est ne turpibus assentire videantur; hinc enim libido virorum inflammari solet.

Non tamen leviter pronuntiandum est eos omnes qui, audientes turpiloquia ex parte loquentis mortalia, parùm derident, mortaliter peccare; fieri enim potest ut de modo dicendi, potiusquàm de rebus ipsis, rideant; porrò in eo casu mortaliter non peccant, nisi grave præbeant scandalum. Scandalum autem facillè præberent religiosi, clerici et personæ virtutibus christianis eximiæ, si de verbis obscenis riderent.

5° Quod de verbis turpibus diximus, pari ratione dicendum est de cantilenis inhonestis. Carmina valdè turpia componere, cantare vel libenter audire, peccatum est mortale: item si grave detur scandalum, v. g., si clericus carmina tantummodò æquivoca conficiat, aut coram aliis et præsertim coram secularibus cantet.

6° Quicumque auctoritatem in alios exercent, et imprimis pastores ac confessarii, sollicitè curent inferiores sibi commissos à consuetudine minus castè loquendi aut cantandi avertendos, sequentium B. Pauli verborum memores: *Fornicatio... et omnis immunditia... nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitude, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinent* (Eph., 5, 3 et 4).

7° Tenera colloquia cum personis diversi

sexûs, maximè, si sint diuturna, sæpè repetita, in locis solitariis, valdè periculosa et proximi naufragii in castitate sunt signa; cautè igitur devitari debent, licèt non semper ut peccata mortalia habenda sint.

8° Summoperè etiam caveant juniores confessarii ne puellæ aliæque mulieres sensibili modo sibi adhæreant, quod frequenter in ruinam animarum et in religionis detrimentum accidit: ubi prima inordinatæ hujus affectionis specimina advertunt, asperis verbis eas repellere non timeant, et si hoc non sufficiat, ad alios confessarios eas statim remittant; alioquin incauti eas perdent et cum eis peribunt.

Per gloriam Dei æternamque eorum salutem cunctos adjuramus clericos, ut conciliorum statutis semper obtemperantes, juniores mulieres apud se nunquàm detineant, eas non visitent, cum eis familiariter non loquantur, multò minus eas amplexentur aut in cubiculum suum introducant. Heu! quot inde prodière mala: quot religioni opprobria!!!

§ II. — De libris obscenis.

De libris hæreticis et impiis hic non loquimur, sed tantùm de libris bonis moribus oppositis, præsertim de romanensibus vulgò dictis, *romans*, qui ordinariè continent amores illicitos, et intricatas historias modo excitandis libidinibus inordinatis aptiori dispositas.

1° Qui componunt libros graviter obscenos mortaliter peccant: multis enim præbent occa-

sionem ruinae spiritualis, et nullam invocare possunt rationem quae eos excusare possit.

2° Similiter impossibile est dari rationem sufficientem libros hujusmodi ex professo vendendi: ergo mortaliter peccant librarii qui eos in officinâ suâ detinent, exponunt et occurrentibus vendunt.

3° Libros hujus generis ex libidine, imò ex levitate, ex curiositate, vel recreationis causâ legere, est regulariter peccatum mortale; quia ex se nati sunt sensus commovere, imaginationem conturbare et flammâ impuras in corde accendere.

Dicimus *regulariter*, quia nolumus definire eos mortaliter peccare qui, ex solâ curiositate, tales libros legunt, si, ob aetatem provectam, complexionem frigidam aut consuetudinem de rebus venereis tractandi, grave periculum non incurrant.

4° Alii sunt libri amores licitos vel illicitos describentes, qui ad libidinem graviter non excitant, nec sensus commovent, nec periculo notabili exponunt, ut sunt multae tragœdiæ, comœdiæ aliaque poemata: qui, secluso gravi periculo et aliorum scandalo, ejusmodi libros ex solâ curiositate legunt, mortaliter non peccant; si verò ob causam legitimam, v. g., ad discendum, ad acquirendam aut perficiendam eloquentiam id faciant, nullatenus peccant, supposito quòd officia sibi ratione statûs imposita propterea non omittant nec negligant. Rarò clerici istiusmodi lectioni vacare possunt sine peccato, quia vel officia sua communiter

negligerent, vel scandalum aliis præberent: ad minus enim indè sequuntur, ut ex experienciâ constat, tædium pietatis, incapacitas labori continuo incumbendi, extinctio spiritûs unctionis ac fervoris, etc. Undè meritò notatur hos libros sæpè magis nocere fidelibus, quàm prorsus obscenos qui horrorem excitarent; ab eorum igitur lectione avertendi sunt poenitentes.

Qui prædictos libros etiam non graviter obscenos componunt, sæpè mortaliter peccant, quia multis prebent occasionem ruinae, sine ratione sufficienti: non ita peccare videntur qui eos vendunt; cùm enim, ex dictis, multî eos vel absque peccato, vel saltem absque peccato mortali legere possint, eo ipso aut nullatenus, aut venialiter tantum peccant eos emendo; ergo librarius qui eos in officinâ suâ habet et petentibus vendit, inquietari non debet.

5° Patres familias, magistri scholarum, heri et omnes qui curam aliorum habent, inferiores à lectione librorum romanensium quantum possunt avertant, eosque piis, sanctis ac gravibus studiis assuefaciant: hâc enim solâ viâ formantur viri eruditi, sensati, virtutibus præditi, religionis ac societatis defensores, ad regendam propriam familiam idonei, et nulli negotio impares.

§ III. — De choreis seu saltationibus.

Choreæ et saltationes sunt voces synonymæ, quemdam ludendi vel se recreandi modum

omnibus notum exprimentes. Tria distinguuntur chorearum genera : primum inter personas ejusdem sexûs, sive mares, sive feminas, semoto omni actu, gestu aut verbo impudico, exercetur, et hoc procul dubio licitum est. Secundum inter personas ejusdem vel diversi sexûs peragitur, sed modo inhonesto, vel ex pravâ intentione, et certum est illud ab omnibus reprobandum esse. Tertium genus inter mares et feminas modo honesto et sine pravâ intentione exercetur; de illo solo inter auctores disputatur.

Scriptores theologiæ moralis, inquit Benedictus XIV, Inst. 75, n° 3, unanimi sententiâ affirmant nullum crimen admittere qui choreis indulget..... E contrario sancti Patres choreas criminibus obnoxias et implicatas exclamant.

Attamen theologi morales et SS. Patres non sibi contradicunt, quia priores de choreis in se sumptis loquuntur, posteriores verò earum pericula ac consecraria præcipuè advertunt. Ità P. Segneri apud Benedictum XIV, *ibid.*, S. Ligorius, l. 3, n° 429, etc. Duo igitur apud omnes constant, videlicet 1° saltationes per se illicitas non esse, et 2° modum saltandi consuetum periculi esse plenum. His prænotatis, quædam statuendæ sunt regulæ praxim spectantes, et ad regimen animarum non parvi momenti.

1° Interesse choreis graviter inhonestis ratione nuditatum, modi saltandi, verborum, cantuum, gestuum, est peccatum mortale: hujusmodi saltationes nequeunt ergò permitti,

nec communiter quæ fiunt cum larvis, aut cum vestibus partes inhonestas nudantibus.

2° Qui, propter personalem imbellicitatem, grave subeunt periculum libidinis in saltationibus, ab iis sub peccato mortali abstinere debent, nisi fortè, quod improbable est, quædam necessitas urgeat et periculum consensûs absit: idcirco absolutio eis deneganda est, donec emendentur, aut sincere promittant se eis deinceps non adfuturos.

3° Qui grave præbent scandalum, etiam honestè saltando, mortaliter peccant, exceptâ necessitate, si adesse possit: ratio patet. Undè moniales, religiosi, sacerdotes et ipsi inferiores clerici in choreis publicis saltantes, à peccato mortali excusari non possunt, quantumvis castè sic agant. Ità judicare videntur plurimi theologi, et inter eos, Benedictus XIV, qui in *Inst. 76*, jam citatâ, choreas sacerdotibus et clericis strictissimè interdicit, et interdictas esse multis rationibus ac testimoniis demonstrat.

Si autem choreæ à clericis vel religiosis fierent inter se, non in præsentia laicorum, ex quodam solatio et levitate, essent peccata, non tamen mortalia, ait idem Pontifex, ex S. Thomâ.

4° Modestè saltare vel choreis honestis adesse ex quâdam necessitate, vel ex statu sui decentiâ, sine probabili libidinis periculo, nullum est peccatum; si quod enim tunc esset peccatum, maximè quia præberetur aliis occasio peccandi, et peccatis eorum participaretur; verum, ex hypothesi, sufficiens datur

ratio hæc præter voluntatem accidentia permit-
tendi. Pulchra mulier decenter ornata à tem-
plis aut à publicis deambulacris abstinere non
tenetur, quia plurimis est occasio peccati :
ergo nec ab honestis choreis sibi non pericu-
losis, si ratio sufficiens id ipsi suadeat, quod
ex solis circumstantiis determinari potest :
v. g., puella matrimonio destinata, choreis in
domo paternâ, vel apud vicinos aut cognatos
honestè celebratis adesse tenetur, et saltationem
sibi oblatam recusare non potest quin
derideatur, vel parentibus aut juveni eam requi-
renti displiceat; nullatenus peccat, decenter et
purâ intentione saltando. Undè S. Franciscus
Salesius sic habet (*Introduction à la vie dévôte*,
3^e partie, ch. 23) :

*Je vous dis des danses, Philotée, comme les
médecins disent des potirons et des champi-
gnons : les meilleurs n'en valent rien, disent-ils;
et je vous dis que les meilleurs bals ne sont
guères bons ; si néanmoins il faut manger des
potirons, prenez garde qu'ils soient bien appres-
tez. Si par quelque occasion, de laquelle vous
ne puissiez pas vous bien excuser, il faut aller
au bal, prenez garde que votre danse soit bien
apprestée. Mais comment faut-il qu'elle soit
accommodée ? de modestie, de dignité et de
bonne intention. Mangez-en peu et peu souvent
(disent les médecins, parlant des champignons);
car pour bien apprestez qu'ils soient, la quan-
tité leur sert de venin. Dansez et peu et peu
souvent, Philotée ; car faisant autrement, vous
vous mettez en danger de vous y affectionner,*

Abs re non est observare pium episcopum
velle saltationes fieri cum modestiâ, purâ inten-
tione et rarò : insuper, cum simpliciores tunc
essent mores, fortè minùs periculosi erant
hujus generis ludi.

5^o Interesse choreis honestis, et, seclusis
gravi periculo ac notabili scandalo, decenter
in eis sine ratione sufficienti saltare, est pecca-
tum, sed tantùm veniale; quòd sit peccatum,
à nullo in dubium revocari potest; quòd sit
duntaxat veniale, sequitur ex ipsâmet hypo-
thesi. Rigidiores negant quidem hypothesim,
et contendunt in omnibus choreis virorum et
mulierum promiscuè saltantium, grave semper
adesse libidinis periculum, nec audiendos qui
dicunt se motus inordinatos non experiri, vel
in eis non delectari. Verùm non ex præsump-
tione judicandi sunt pœnitentes, nec creden-
dum est eos prudenter interrogatos, magis
reos esse quàm ex ipsorum declaratione patet,
nisi evidenter constet eosdem sibi illudere aut
decipere velle. Si, adhibitâ sufficienti diligentîâ,
confessarius diciatur, et absolutionem indi-
gnis concedat, innocens erit apud Deum; con-
trâ verò, si ex solâ præsumptione pœnitentem
rectè dispositum à sacramentis repellat, gravis
injustitiæ fit reus. Non temerè ergo pronun-
tandum est viros ac mulieres eo ipso absolu-
tione esse indignos, quia saltaverunt, vel cho-
reis adfuerunt, et sæpè ab iis prudenter non
exigeretur sub denegatione absolutionis, ut
promitterent se deinceps non saltaturos nec
choreis adfuturos.

6° Attamen choreæ, prout fieri solent, semper sunt periculosæ; idcirco confessarii, parochi et ii omnes quibus animarum cura commissa est juvenes utriusque sexûs ab illis, quantum possunt, avertere debent: si eas omninò impedire nequeant, pericula ipsis adhærentia pro posse minuant, exigendo, v. g., ut saltationes locum non habeant diebus pœnitentiæ, tempore divinorum officiorum, in popinis, ad quas dissoluti et dissolutæ omnis generis conveniunt, nec protrahantur in noctem.

Nunquàm istiusmodi oblectamenta positivè approbare, ad ea concurrere, aut eis adesse possunt dicti sacerdotes; ea, è contrariò, semper improbare debent, tanquàm periculosa aut saltem virtutibus christianis parum congruentia: sed aliud est ea improbare, aliud verò omnes eis utentes ab Ecclesiæ sacramentis indiscriminatim arcere.

7° Qui prudenter judicat se, magnâ utendo severitate, choreas in parochia suâ penitùs destructurum, absolutionem cunctis saltantibus, vel ad saltationem concurrentibus differre vel etiam negare potest: si enim aliqui mortaliter non peccent ratione saltationis, laqueos aliis parant saltationes introducendo, vel eas aboliri impediendo, et ideò sub hoc respectu à gravi peccato non facilè excusantur.

8° Si verò nulla detur spes choreas de medio tollendi, ut frequentissimè contingit, nimia severitas saluti animarum nocebit: multi enim arbitrantes hæc oblectamenta esse licita aut non graviter illicita, ab eis penitùs abstinere

nolunt; confessionem, Eucharistiam, conciones sacras deserunt, nullo freno amplius retenti, in teterrima omnis generis ruunt flagitia: ignorantia, corruptione, perditorum hominum consuetudine, præjudiciis adversùs religionem ejusque ministros, simul concurrentibus, in perversitate obdurescunt et nunquàm corriguntur: sæpiùs indignè matrimonium ineunt, famulos scandalizant, liberos malè educant, sicque impietas grassatur, et morum corruptio magis ac magis invalescens, nullam ferè relinquit viam bonum aliquod faciendi.

Qui, è contra, pœnitentes choreis assistentes benignè tractans, suasionem et precibus eos ab hujusmodi periculis avertit, salutaria eis præstat consilia ut discrimini se non objiciant; si lapsi fuerint, eos paternè redarguit, absolutionem eis differt, et tandem de graviter admis-
sis contritos, licèt ab omni peccato immunes eos non judicet, absolvit, ad communionem saltem in Paschate admittit, multò efficacius saluti eorum consulit et ad bonum religionis proficit.

Ex principiis suprâ expositis quædam sequuntur consecutaria hic notanda, videlicet:

1° Ubi choreæ sunt in usu et reputantur licitæ, vel indifferentes, non proscribendæ sunt publicè: adversùs peccata quæ in eis admitti solent verbis castis pudicas aures minimè offendentibus, prædicare licebit; cautè verò de personis hujusmodi congressus frequentantibus aut apud se celebrantibus loqui oportebit; nullis infamiæ notis affici debent, nec pru-

denter declararetur omnes qui saltassent aut choreis interfuisent, pro ipsâ communionem paschali deinceps non admittendos fore.

2° Confessarius ergo non potest eos indiscriminatim repellere, qui choreis aliundè honestis omninò renuntiare nolunt, nec omnes promiscuè absolvere: itaque perpendere debet circumstantias saltationis hujus, loci, temporis, durationis, personarum ei adstantium, periculi quod pœnitens incurrit, etc.

3° Qui publicas apud se ducunt choreas, ad quas utriusque sexûs juvenes sine ullâ distinctione convocant, ut plurimi caupones facere solent, absolvi non possunt: tales quippè congressus seminaria vitii et corruptelæ reputandi sunt, quod experienciâ constat. Eâdem de causâ fidicines qui in hujusmodi choreis saltantibus præsunt, admitti non debent, nisi promittant se ab eâ professione cessaturos.

4° Non eâdem severitate tractandi forent, qui in extraordinariis oblectationibus auctoritate publicâ celebratis, vel domum suam commodarent, vel fidicines conducerent, vel ipsi, fidibus canendo, saltantes dirigerent; quia, si quod existat periculum, datur ratio sufficiens illud permittendi, aut à peccato mortali, sin à veniali, excusans. Saltem parochi et confessarii prudenter dissimulare debent, in his casibus, quod impedire nequeunt.

5° Ut reos peccati mortalis habere nollemus eos qui aliquoties tantum in anno, v. g., in messe, in diebus bacchanalibus, choream pro familiâ, pro vicinis vel operariis suis dare so-

lent; eos quidem increparemus, et tamen pro communionem paschali absolveremus; similiter et fidicinem. *A fortiori* et eos qui, secluso speciali periculo, in his tantum circumstantiis saltarent.

6° Imò absolutionem strictissimè denegare nollemus iis omnibus, qui in publicis congressibus, vulgò *les assemblées* aliquandò saltant; quibusdam enim rationibus excusari possunt, si non à toto peccato, saltem à tanto, id est à mortali, v. g., juvenis qui à sociis derideretur, vel puella quæ à viro eam requirente contemneretur nisi saltaret. Contrà verò fidicines in his congressibus ex professo canentes nonmitteremus, quia, sine causâ sufficienti, multis præbent occasionem peccandi.

7° Non arbitramur eos absolvi posse, etiam in Paschate, qui publicas choreas diu noctuque frequentare volunt, quia manifesto periculo sese exponunt, et experientia docet ferè omnes esse corruptos.

Abs re non erit referre de verbo ad verbum decisionem quam doctissimus et sapientissimus *Tronson*, ab episcopo Atrebatensi super quæstione de choreis consultus, dedit, die 29 maii, anno 1684, relative ad puellas quæ saltare volunt. Sic se habet:

1° *Les confesseurs doivent détourner, autant qu'ils le peuvent, leurs pénitentes de la danse, surtout s'il se trouve des garçons.* 2° *Ils doivent leur refuser l'absolution si la danse est pour elles une occasion de péché, soit par mauvaises pensées ou autrement, et qu'elles ne veuillent pas promettre de s'en abstenir.* 3° *Si elle n'est*